



PALAEASTRA LATINA

SUMMARIUM

ANNUS HORATIANUS (Actuaria)

Q. HORATIUS FLACCUS ET A. LEGIONENSIS,
(Llobera)

EPISTULARUM COMMERCIIUM, (A. Loza, E.
Jové).

IN MEMORIAM, P. J. LLOBERA, S. J. (Martija).

NARRAGONIA ET CROCODILOPOLIS, (Viator).

Q. HORATII FLACCI CARMEN SAECULARE, (Jiménez).

INDIVIDUM THOMAM MORUM CARMEN (Balde,
Avenarius)

DE RECTA LINGuae LATInAE PRONUNTIATIONE, (Jové).

BIBLIOGRAPHIA, (Jové, Mir, Pastor, Codina).

DE LATRONIBUS FABULA — COROCOTTA, REX LATRONUM, in operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES, in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE, in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permissu

X COORITUR TEMPESTAS

XI TEMPESTAS EXAGITATUR



SAGAX fi-
dem praesti-
terat ideo-
que sperare
poterat Au-

lus se tuto

esse perventurum Bajas. Quadraginta etiam ex robustissi-
mis et fidissimis servorum gladios gerentium lefīcam ab
utraque Parte circumdabant in qua Aulus cum Terentilla
jumentis vehebatur. Equitum triginta armatorum globus
praeceudebat, et claudebant agmen alii equites pariter arma-
ti, numero etiam triginta. Itineris alter erat dies, et, palu-
dum regione feliciter trajecta ad insidias opportunissima,
Aulus gloriabatur quod periculissimam itineris partem
sine offensa peregisset. Jamque iterum fidutia plenus Coro-
cotta minas deridebat, cum ecce subitus in agro auditus
est sibilus. Tumque assurgit ante agmen magna latronum
multiitudo qui in Auli custodes impetum faciunt sublato
illo clamore; «Corocotta, Corocotta», Dextera manu fustem
tentent, laeva pugionem, quorum altero pectus verberant
equorum, altero abdomina perfodiunt qui proruunt, pros-
ternuntque equites antequam armis ut licet.

Eo tempore latrones partim in jacentes equites incumbunt
atque eos funiculis constringunt, partim in servos et equites
irrumpunt novissimi agminis qui prioribus ad volaverant
auxilio. At en altera latronum manus quae ad id tempus
lauerat in lefīcam omni praesidio desitutam prosilit,
quam, dum a ceteris bellum conseritur, in agros citato cur-
su petrahit spretis furentis Auli conviciis et trepidae puel-
lae flebibus. Ubi vero servi id animadverunt, succurrendi
domino cupiditate adducti, deserta pugna, ereptores perse-
quuntur. Sed etiam hi fortiter eis occurunt, et ceteri latro-
nes, superatis facile equitibus numero paucioribus, aversos
adoruntur. Itaque ancipiti periculo distracti servi mox
diffugiunt et
victoria e-
xultant la-
tronies.



PALAESTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesetarum in Hispania, 7 in America et Lusitanis, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.



ANNUS HORATIANUS

*Q*UINQUE abhinc annos PALAESTRA LATINA bonis vitam avibus auspicabatur. Ortu suo commemorationem celebrabat bis millenariam nativitatis PUBLII VERGILII MARONIS. Hodie cum jam pede certo signat humum, paribus colludere gestit, agitando bis millesimo aniversario QUINTI HORATII FLACCI.

Quem ad finem per anni menses PALAESTRA LATINA lectoribus obsequetur quibuslibet additis commentario pagellis, in quibus longe lateque de Horatio disserere poterimus. Ita commentarius noster capere poterit omnes lucubrationes Horatianas quas ad curriculi finem in unum opusculum colligemus atque ideo neque ab numero ordinario lectores frustabuntur, neque excidet toto anno poëtae nomen ab eorum memoria. Speramus tanto Romanorum viro operam nostram minus indignam fore.

ACTUARIA

Q. Horatius Flaccus et Aloisius Legionensis

† Josephus Llobera, S. J.

I

In hac singulari PALAESTRAE LATINAЕ charta dicendum est mihi, lectors amplissimi, de Q. Horatio Flacco, lyrico poëta, deque Aloisio Legionensi, poëta item lyrico, estque alter cum altero comparandus, «Romanae fidicen lyrae», qui monstratus saepe est digito praetereuntium, citharaeque Hispanae princeps, etiam «digo monstratus inani» atque «bedera viridi et redimitus tempora lauro». (1)

Cum igitur de Horatio breviter dixerim, ea enuncieabo quae ante hos sex annos in commentario «Razón y Fe» conscripsi de forma Aloisii Legionensis Horatiana⁽²⁾, mihique maximo erunt argumen- to carmina quattuor Aloisiana versibus a me redditam Latina, quibus exteri prae- sertim lectores indolem utriusque poëtae simillimam conferre facile possint. Jam vero cum de Horatio scriptore *Carmi- num* seu odarum agere tantummodo de- beam, ejus et *Satiras* et *Epistulas* missas faciam, et loquar de solo poëta lyrico, satiricum atque didacticum tacebo.

Primum quod cernitur in Horatianis *Carminibus*, si recte judicare volumus, novitas est. Quod enim sibi faciendum Q. Horatius statuerat, ut non aliorum vatum Romanorum vestigia sequeretur neve vulgo trita via incederet, sed poë- mata conderet nova, dico more Graecorum, quo Latina poësis Atticis luminibus illustraretur, quod jam antea in *Satiris* et *Epodis* pulchre natus erat, idem in

odis exarandis est sane consecutus. Nam primus Venusinus extitit qui tractandae lyricae poësis rationem sollertia ex Attica in Latium traduceret. Non enim aut Laevius aut Licinius Calvus⁽³⁾ aut alias lyricus quiddam memoria dignum in hoc genere efficerat. Quin ipse Catullus cum Horatio haud conferendus est, cum hujus lyrica pauca sint et ab Horatianis mul- tum discrepent.

Igitur Apulus vates lyricam Graeco- rum poësim in Latium transtulit, Archilo- chum in *Epodis* imitatus, post in *Carmi- nibus* Alcaeam et Sappho et Pindarum pre oculis habuit. Anacreontis, Stesi- hori, Simonidis, Almanis, Bacchilidis poëmata versavit. Quare ipse gloriatur «plus vice simplici», quod dicendus sit «princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos» C. III, 30 h. e. Alcaeam et Sappho sibi proposuisse imitandos, et quod «spiritum Graiae tenuem Camoe- nae Parca non mendax dedit» C. II, 16. Cf. I, 32, 3; «age, dic Latinum, barbite, carmen, Lesbio primum modulate civi», i. e. Alcaeum; IV, 3, 10: «quae Tibur aquae fertile praefluunt et spissae nemorum co- maæ singent Aeolio carmine nobilem»; IV, 6, 31: «virginum primæ puerique claris patribus orti... Lesbium (seu sap- phicum) servate pedem meique pollicis ic- tum»; Epist. I, 19, 23: «Parios ego pri- mus iambo ostendi Latio, numeros ani- mosque (sive metrum et spiritum) secutus Archilochi, non res et agentia verba Ly-

(1) «¿Qué presta a mi contento / Si soy del vano dedo señalado?» «De hiedra y lauro eterno coronado». Vide inferius ver- sionem carminis «[Qué descansada vida...]». —(2) Cf. «Razón y Fe», 10 de enero de 1929, item *Obras poéticas del Maestro Fr. Luis de León*, t. I, Apéndice IV. Cuenca, 1931, p. 425. —(3) Cf. Welckert *Poetarum Lat. Relliq.* p. 19 seqq.

camben»; *Epist.* I, 19, 32: «*bunc (Alcaceum) ego non alio dictum prius ore Latinum vulgari fidicen*». Cur vero in excolla lympha poësi adeo feliciter elaboraverit, haec videtur esse potissima ratio, quod suo ipsius ingenio maxime conveniret. Cum enim duo fere genera sint lymphae poësis, alterum grande, magnificum, audax, sublime, ejus vatis proprium «*ingenium cui sit, cui mens divinior atque os magna sonaturum*» *S. I*, 4, 43, quale fuit Pindari, alterum lene et temperatum, quod non tam audaciam et pompam requirit quam suavitatem cum quadam majestate conjunctam, in quo Alcaeus imprimis et Sappho praestantissimi fuerunt, illo priore genere saepe relicto aut declinato, posterius hoc maxime amplexus est, quippe quod ejus indoli potius temperatae quam audaci maxime congrueret. Quod ipse de se confitetur pluribus locis, quos omitto brevitatis gratia, quales sunt *C. I*, 6, 9 seqq.; *II*, 1, 37 seqq.; *III*, 3, 69; *IV*, 15, 3, 69, *IV*, 2, 25 seqq.; *IV*, 15, 3. In his ego locis sine ulla dubitatione confirmaverim poëtam voluisse ingenii sui mediocritatem significare, urbana tamen usum ironia nonnumquam. Nam si quandoque «*multa (Romanum) tollit aura cycnum, tendit (o lector), quotiens in altos nubium tractus*», saepius tamen «*apis Matinae more modoque, grata carpentis thyma per laborem plurimum circa nemus uvidique Tiberis ripas, operosa parvus carmina*» finit. Quae verba etiamsi, ut jacent, poëtae urbanitati vertenda sunt, certe Venusinus altius volare et cautissime temptavit et in plerisque carminibus «*auream*» potius secutus est «*mediocritatem*» quam audaciam, dulcedine potius quam majestate praeditus est, jucundior venustiorque

quam altus et magnificus, gravior et elegantior quam grandis et sublimis, lenior denique et tranquillior quam vehemens et ardens appetat. Nimis ultra vires ingenii sui, quas probe noverat, progredi non est ausus nisi insolentiore animi motu excitatus, provocatus, laccusitus.

Propriam igitur indolem consulens eique prospiciens, egregii poëtae partes Latinus lyricus egit. Cui rei addenda est exquisitior argumentorum delectus in poëmatis fingendis. Haec enim potissimum de vita communi desumuntur, sed ita ut accommodatissima sint ad docendum et delectandum, in qua mixtione rerum utilium et dulcium «*omne tulit punctum*». Modo enim cum amicis jocatur, at urbane semper et Attice, modo sapienter vivendi praecepta tradit illustratque misericorde, temperantiam docet aequitatemque animi et magnitudinem, pietatem in patriam et deos laudibus extollit, nunc detestatur aetatis sua vitia, impietatem, avaritiam, luxuriam, nunc ad caelum effert praeclarissimorum virorum virtutes et facinora, laudesque canit deorum maxime in publica populi Romani laetitia cum grati animi significatione. Semper scriptor sumit materiam viribus aequam suis, postquam diu versavit quid umeri recusent, quid ferre possint, rerum atque hominum rationem diligenter.

At vero non his quae diximus contentus, processit ulterius, carminum enim formam eam effingit quam potuit elegantiissimam. Illam breviter admodum attingam, nam hujus scripturae angustiis coactus, ipsam amplificare nullo modo possum. Qua de re generaliter est dicendum Graecorum eum artem rationemque esse imitatum, at non serviliter, polluit enim ea ingenii vena atque pulchritudinis ve-

nuſtatisque ſenuſ, quibus lyriſae poēſiſ vim et gratiam facile perciperet et asſequeretur. Itaque et lyriſam diſtioneſ invenit et numeros et verſus ad Graecorum normam concinnavit, asperiorem adhuc incomptioremque poēticum ſermonem ad elegantiam ſuae aetatis conformativ, quod ſibi etiam Catullus, Asinius Pollio, Varius, Vergilius proposuerant. Quare cum haec omnia ipſi invidiā moleſtiamque a Bavio Mevioque, pessimis poētiſ peperiſſent, de quibus Vergilius, *B*, 3, 99:

Qui Bavium non odiſ, amet tua car-
[mina, Mlevi,

de hoc autem ipſe Horatius,
Epoſ, 10:

Mala ſoluta naviſ exit alite,
Ferens olentem Mevium,

exclamat *ad Pis.*, 53 ſepp.:

Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus,
[ademptum

Vergilio Varioque? Ego cur acquirere
[pauca

Si poſſum, invidior, cum lingua Ca-
[tonis et Enni

Sermonem patrium ditaverit?

Patriam igitur linguam dupliciter Horatius locupletavit, primum ex opibus Latini ſermonis propriis, deinde Graecis conſtruotionibus qui Helleniſmi a Grammaticis vulgo nominantur, quorum carmina Horatiana plena ſunt. Nihil jam dicam de pičto et polito orationis colore; nihil de numeris et verſibus plane cum materia conſentientibus; nihil de traſlationum metaphorarumve audacia, quam ingenium atque elegantia moderantur; hoc tamen unum animo advertam, non ab eo mediocriter esse verſatum atque ſer-

vatum praeeceptum illud luculentissimum ſuae ad Piones epiftulae:

Sit quidvis simplex dumtaxat et unum.

Continet enim unumquodque carmen Horatianum principem ſive primariam aliquam ſententiam, ad quam tandem aliquando cetera referuntur. Eam autem veſtigare mentis oculis non eſt facile ſemper, cum aliquando animo commotus illam potius poētico lumine colluſtrare videatur et exornare quam aperte ante oculos legentis ponere. Attamen singulae carminis partes ita inter ſe copulatae conexaeque ſunt, ut ad illam declarandam ſollerter omnes conſpirent. Pindari enim quandoque artem ſecutus, ab eo quod initio proposuerat digreditur, ſententiarum ordinem rerumque ſeriem liberius commutat, nonnumquam ſaltu quaſi facto medias ſententias praetermittit, quae requiri videntur ut magis perspicue carmen intellegatur. Hujusmodi transitiones ſaltus lyriſi non inepte dicuntur, quod lyriſorum magis proprii ſunt quam ceterorum poētarum, ſimilitudine desumpta ab eundo in cogitando. Quae cum ita ſint, non ea tamen officiunt quominus ejus poēma ſit simplex et unum, neque ejus partium junctorum turbant, copulationem impediunt. Sed jam ad ea gressum faciamus, quae magis singulariter ad Horatianam formam attinent.

Et Q. Flacci dos peculiariſ usurpatio veri cum fītione conjuncti, quae coniunctio per ſe ipsa ſtili Horatiani pars eſt. Horatius vates eſt Musarum ſacerdos, quem Superi tuentur, quique «carmina non prius audita virginibus puerisque cantat, et vulgus arcet», quem

. . . gelidum nemus

Nympharumque leves cum Satyris Æbori
Secernunt populo.

Eum a casu arboris fortuito, a maris tempestate, ab occurso lupi liberat tutela caelestis, quod sit homo sacer. Hinc coniunctio fabulae cum iis quae reapse evenerunt, hinc episodia illa mythologica quibus indulgere solet in poëmatis cincinnandis.

Altera qualitas formae Horatianae est usus imaginum, quas poëta usurpat ut et res et sententiae menti inhaereant firmiter. Res abstractas refugit lyricus: apud ipsum tempestas Pater est sive Jupiter, qui «igni corusco nubila dividens per purum tonantes egit equos volucrēmque currum», victoria dea, quae ab alto descendit, «victorem fronde coronat». Verbo, Horatius numquam pictor esse desinit: *Ut pictura poësis*.

Ex iis imaginibus oriuntur res singulatim oculis objectae. Si vult poëta locum campestrem ob oculos ponere, quo amici secedunt ut festo die genio indulgeant, ostendit «pinum ingentem albamque populum, umbram hospitalem ramis consociare amantes, fugacemque lympham obliquo rivo trepidare laborantem». Praeditus ille est arte pingendi, polletque vi imaginandi, quam p̄avtasiā dicimus, nunc ludicra et petulanti, nunc festiva perque jucunda, quippe quam et ratio et judicium regant et moderentur. Inde illae antitheses quibus res rebus, sententiae sententiis opponuntur. Quis enim non tenet memoria carmen l. I, quartum, ubi

*Cytherea chorus dicit Venus imminentē
[luna,
junctaque Nymphis Gratiae decentes
alterno terram quatint pede, dum gra-
ves Cyclopum*

Vulcanus ardens urit officinas?

Tertia «vatis Horatii» dos brevitatis est contradic̄tio que stili, qui paucis multa continet, neque redundat aut diffuit, sed ubertatem coercet verborum, deque iis agit duntaxat quibus est hic locus neque sine ulla ratione ab eo

*Lucus et ara Dianaē
Et properantis aquae per amoenos am-
bitus agros,
Aut flumen Rhenum aut pluvius des-
cribitur arcus;
Semper ad eventum festinat et in me-
dias res*

Non secus ac notas, auditorem rapit...

Horatius igitur «brevis esse laborat». Quod si aliquando obscurus fieri videatur, non id brevitati est tribuendum, sed poëticæ locutioni potius, nobis reconditae, qua de causa postulat a nobis diligentem investigationem. Quae tamen difficultas invenitur etiam in amplioribus scriptoribus, qualis est Vergilius, eo quod Latinus sermo sit pressior quam linguae nostræ recentiores.

Nihil de epithetis dicam, quibus Venerinus luculentissime utitur, quorum usuratio plena facilitatis est et felicitatis, habeturque quasi dos peculiaris scriptoris *Carminum*.⁽¹⁾

Gloriari igitur merito potuit poëta, suae sibi conscientis virtutis, quod monumentum aere perennius construere primus coepisset, idem ingenii sui felicitate exegerit seu ad finem mirifice perduxerit, consiliumque quod inierat ut Roma Romano imperio digna polleret lyra, sic est exsecutus, ut et aequalibus et posteris suis exemplum reliquerit quod a nullo

(1) Quae haecenus a me scripta sunt de forma Horatiana, sic mirifice Menéndez y Pelayo summatis exponit, eam constitutus «en la sobriedad maravillosa, en la rapidez de la idea y concisión de la frase, en la tersura y nitidez en los accidentes, en la calma y serenidad soberana en el espíritu del artista». V. Miguel A. Caro, *Observaciones sobre la poesía horaciana*, en «Horacio en España», t. II, Madrid, 1885, p. 373.

cive suo sit postea non dicam superatum, verum ne ulla quidem ratione aequiparatum. Nam ejus aequales Titius et T. Septimius, de quibus ipse, *Epiſt.* I, 3, 9 et I, 5, 26, aliisque pauci vix nomen nobis, carmina, quod sciamus, nulla reliquerunt. Postera autem aetate nemo poē-

ta lyricus cum Horatio comparandus. Quapropter prudentissime Quintilianus, X, 1, 96: *At lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus; nam et insurgit aliquando, et plenus est jucunditatis at gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax.*

II

Sed jam gradum faciamus ad Legionensem, ad eum poētam, cui jam dudum *Horatio Hispano* cognomen est, de quo verbis pauca dicam, multa, credo, carminibus quattuor suis latine a me redditis, quae paulo post in medium proferam. Audacissimo mihi spero fore ut lector benignissime et indulget et parcat; intellexi enim brevius mihi iter per exempla quam per doctrinam futurum. Sed prius Bouterweckium audiamus, nonnulla exemplis praeponentes. Igitur de Legionensi scriptor Historiac *Poēsis et Eloquentiae in gentibus seu populis recentioribus*: Haud facile est, inquit⁽¹⁾, statuere uter utri anteferendus, num Legionensi Horatius, an Horatio Legionensis. Wetterius autem et Weltius Bouterweckii testimonio nixi, in suo *Dictionario Encyclopaedico Theologiae Catholicae*⁽²⁾ neminem asserunt ex scriptoribus recentioribus magis intime sensum antiquorum perspexisse poētarum, mentem propius attigisse, quam nostratem, neminem hodiernae poēsi propietates et indolem illorum veterum scriptorum sapientius communicasse. Noster autem Coll et Vehí, acerrimo vir judicio, addit Magistri Salmanticensis carmina aequiperari facile

posse eum Horatianis et arte et brevitate dicendi, animi vero motibus praestantiora his illa et puriora habenda esse⁽³⁾

Sicuti Graecos Romanus, sic Latinos et Graecos et Hebraeos Hispanus est imitatus, ex Latinis praeſertim Maronem et Flaccum, ex Graecis Pindarum, ex Hebreis Jobum et Davidem, quos omnes perbellè Hispane loquentes induxit, quorumque versione facultates auxit stili poēticī in nostris litteris, ut in Latinis Horatius egregie. Sed brevissime formam, de qua diximus, Horatianam, quae naturae beneficio suoque studio vates noster excelluit, exponamus.

Ac primum quod fabulae Horatio tribuerunt, ut rebus sacris profanos extolleret humanasque divinis, id sibi vates Augustinianus longe superius comparavit doctrina et dogmatis santissimae nostra Religionis. En tibi, lector optime, clarum carmen omnibusque numeris absolutum, quod inscribitur *A todos los Santos*, estque imago perfectissima carminis Hor. I, 12, quem virum aut heroa, non serviliter ex Latino lyrico sed ingenue admodum expressa.

(sequar)

(1) In opera cit. vol. III, p. 239 seqq., Gottingae, 1804.—(2) Germanice concripto, Gallico autem factō a Gosehler. —

(3) «Elementos de Literatura», Art. Poet., l. II, cap. II, c).

Epistularum Commercium

Antonius Maria Loza C. M. F., Emmanuel Jové, C. M. F., S. P.

Pauca mihi aequa grata accidunt ac Palaestra. Quanto estudo et amore singulis eam mensibus expectem, et quanta aviditate, postquam receperim, legam perlegamque, vel potius vorem, verbis exprimere nequeo. Si tibi dixerim numquam eam e manibus meis decidere et perpetuo mihi ubique locorum se comitem praebere, non mentiar.

Tibi Deus benedicat quia adeo magnum adgressus es opus, ex quo tot fructus omnes capiemus, praesertim Hispani et Americani. Bene te, mi Joveri, eo quod linguae Latinae usum doctrinamque tam strenue propugnas et utinam exemplum tuum alii sectentur.

Perge, ut facis, litteras fovere latinas, et in eis omnia tua collocare. Labor enim tuus haud inanis erit. Plura adhuc tibi dicere possim, sed ne nimis longa videatur epistula, multa praetermitto et ad propositum venio.

Enixe te deprecor ut, in lucem cum prodeat extraordinarius quem paras Horatii, mihi dimidiam fasciculorum duodecadem remittas, praeter eos numeros qui subnotationis causa mittere debes, nam velim discipulos meos qui in Latinitatis cultu magis praecellant, premiis ornare, et nihil melius invenire possum quam iis, pro suo labore, talem mercedem offerre.

De pecunia hac ratione tibi debita me certiorem facito ut tempestive eam tibi religiose persolvam. Conserva te nobis. Tibi semper obsequentissimus et perpetuo addicissimus in C. O. Matris. Vale.

Villae Rosarii in Rep. Argentina:

Emmanuel Jové, C. M. F., Antonio Mae. Loza S.

Quamquam sero, ad tuas hodie describere proprio, neque video id abs re hoc tempore esse cum jam primum edimus hujus anni Horatiani fasciculum,

Namque tu numerum extraordinarium postulabas quem sciebas proditurum quique non nisi exeunte tamen cursu scholari complebitur. Ita dum vir ille clarissimus et lauro et edera perenni redimitus per orbem celebrabitur, nostra vox, licet tenuis, pariter vocibus humaniorum hominum commiscebitur, qui eum meritis extollent laudibus. Credo equidem optimum fore, ut dicis, tuis discipulis praemium, praesertim iis qui Latinitatis studio aliis praecellent.

Cura denique ut cotidie linguae Latinae cultus apud eosdem discipulos tuos excitetur quo plurimum nos in nostro negotio juvabis.

Tibi perpetuo addicissimus. Vale.

IN MEMORIAM

R. P. JOSEPHI LLOBERA, S. J.

Dolore maximo et tristitia affectus, calatum arripio. Doctissimus et amicissimus P. Josephus Llobera, S. J., die XVIII Augusti vertentis anni e vivis migravit. Post vitam annorum et meritorum plenam, ad supernam patriam, ut pie credimus, evolavit, ubi Salvatoris verba jam eum audivisse confidimus: *Euge, serve bone et fidelis; intra in gaudium Domini tui.* Lugent classicae litterae grammaticum eximum insignemque poëtam, Horatii imitatorem qui traditionem humanisticam saec. XVI in Hispania enixe est prosecutus; luget mater Ecclesia, in primis inclita Societas Jesu, filium amantissimum, religiosorum exemplar, cuius spiritus religiosus, probata in Deum pietas, proximorum caritas nota omnibus erant.

Virum praeclarum et magistrum observandissimum grata commemoratione debitoque honoris tributo prosequentes, dolorem ex ejusdem morte conceptum, si possumus, leniamus. Misera quidem haec et acerba consolatio est: quanto enim magis rei amissae excellencia perspicitur, tanto plus doloris ex illius amissione percipitur. Sed hoc nobis solacium superest, ut eum non tam nobis ablatum quam a Deo ad meliorem vitam vocatum credamus, ut in Sapientia legimus (IV, 7): *Justus, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Placens Deo factus est dilectus, et translatus est.*

Patri Llobera possumus verba Legionensis applicare, quae ipse ita vertit:

*Ille quam felix hominum tumultus
Qui fugit cautus, sequiturque opertam
Semitam quam, qui sapiere pauci,
Ante adierunt.*

Ab ineunte aetate, litterarum et humanitatis studiis deditus, quae, auctore Cicerone, *adulescentiam alunt, senectutem oblectant*, excellentissimum aliunde nactus ingenium, plura edidit opera classica suavitatem redolentia quae perpetuo inter litterarum amatores stabunt et vigebunt.

Quis enim *Grammaticam Classicae Latinitatis* non noverit? Opus quidem locupletissimum, fructus diuturni laboris in tradenda lingua Latina, primum in Hispania, dein in Lusitania, tum Bonis

Auris, denique Montevidei: opus in quo auctor *apis Matinae more modoque*, quicquid boni invenitur in recentioribus grammaticis (Kühner, Deecke, Riemann, Goelzer, Madvig) decerpst.

Adnotavit etiam pro scholis Phaedri fabulas et Ciceronis dialogos *De senectute et de Amicitia*. Editionem criticam operum Ludovici Legionensis instruxit, in qua Patrem Llobera poëseos Hispani lyrici quam qui maxime studiosum miror, cujus in litteris classicis eruditio poëtarumque Latinorum Horatii et Vergilii cognitio satis effulget. Huic operi superaddi possunt verba quibus Ovidius magno poëmati *Metamorphoseon* finem imponebat:

*Jamque opus exegi quod nec Jovis ira nec ignis
nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.*

Palaestrae Latinae conscriptor assiduus, lucubrations scripsit grammaticas et philologicas, et carmina edidit, Horatiano numine et sapore classico imbuta. In hisce carminibus P. Llobera piissimi cordis sensus aperit. Exemplum adferam ex *Carmine Elegiaco* composto cum lata lex est de Societate Jesu in Provinciis Hispaniae dissolvenda, quod carmen ita concludit:

*Aspera quod nobis si sors subeunda, sodales,
Haec erit ad mortem mens mihi tida comes:
Pro Jesu patimur commisso crimine nullo;
Felix pro Jesu qui patietur erit.* (P. L. II, p. 37).

Ad alterum millenarium Horatianum commemorandum, P. Llobera studium comparativum paraverat *de Horatio et Legionensi*, quod in hoc ipso numero lectoribus degustandum offerimus, versione Latina optimorum carminum Hispani lyrici inlustratum. Paratam quoque habebat versionem cui titulus *Las cien mejores poesías de Horacio traducidas en verso español*, inclusis carminibus Horatianis in *Palaestra Latina* editis.

Humilis religiosus et egregius litterarum cultor, *tempus resolutionis instare* sentiens, cum suo Legionensi canebat:

*Quando, Philippe, e carcere corporis
Caelum valebo scandere fulgidum
Verique purum alto tueri
Orbe magis fugiente terram?*

Beata Virgo dilecti filii desiderium exaudivit, eumque in infraoctava Assumptionis ad supernam extulit patriam. Anima candidissima fortunata luce perfruens, dilectae Societati suae, nobis quoque et laboribus nostris quorum particeps esse voluit, obsecundet.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Narragonia et Crocodilopolis

ACTUS QUINTUS

V 1. SAMUEL, ABSALON et BARO (*sequitur*)

ABSALOM. — Hodie me excusa, quod mihi non est tempus diu de hac re tecum colloquendi; hac eadem vespera paludamento mihi opus erit mutuando cuidam, qui intererit pompa et salutationi personatae. (*Baroni detracaturus est paludamentum*).

BARO. — Cave, ne manus imposueris corpori meo generosissimo! Aut illico apage, aut experieris, quae efficiam ira inflammatus!

ABSALOM. — Et ego tibi dico: statim mihi reddes vestimentum aut intelleges.

quae efficiantur lege publica et jure.
(*fratres exuunt Baroni paludamentum*)

BARO. — (*lamentans et ululans*) «O tempora, o mores!» (1) Hoc dedecus mihi accidisse post peregrinationem triginta annorum!

SAMUEL et ABSALOM. — (*vocibus mixtis*) Si afuisti triginta annos, pecuniam nobis pendes annorum triginta; rationem tibi illico conficiemus; mane hic, quae sumus, nos expectans paullisper. (*abeunt*)

V 2. BARO; postea BUFO; milites

BARO. — (*solutus; meditans multa et in mente volutans perambulat scaenam*) Samuel et Absalom isti, quos sordidissimos totius regni faeneratores esse jam dudum inter omnes constat, nihil compensationis a me accipient nisi pretium legitimum et mercudem justam; quos cum majorem flagitaverint, in carcerem conjiciam et bona eorum publicari jubebo.

BUFO. — (*accurrens ad Baronem tradit ei litterulas*) En, Mercurius tuus hoc epistolium manu Balsaminae scriptum tibi, rex, trado.

BARO. — (*litterulas obsignatas confessim legit voce clara; saepius haesitat et meditatur. Interim Bufo abit et affert Baroni ornatum regium, vestem, coronam, scaeptrum, sedem regiam*). «Dii gratias! — A Bufo te, pater diu desiderate, in patriam feliciter redisse certior facta omnia statim clam parari jussi, ut salvus ac tutus pervenias tandem

aliquando in palatium. — Versantur in domo regia tres proci - Vespa, Milvus, Passerculus, quorum quisque me ambit et expetit nuptiis. Scaurum, securitatis publicae praefectum per filum telephonicum modo precibus fervidissimis obsecravi, ut mihi clam submitteret sex securitatis publicae ministros robustissimos omnium, qui procos subito interciperent — et tribunali tuo sisterent adjudicandos. Non nulli famuli et cives Salamandriæ clavis, fustibus, furcis exstructi et armati nobis auxiliabuntur. Phantasus turris custos castellanus venationem procorum inchoandam tuba significavit. Vale, pater!» Affer (*ad Bufonem*), mi Bufo, hanc schedulam Ophthalmodulo centurioni; et dic, ut militibus electis stipatus ad me illico veniat arcem circumclusum! (*Bufo abit*)

(1) Cicero, I, Or. Cat.

V 3. BARO, *solus; sedet in scanno*

Tandem aliquando vindicta et ultio criminum intercedet justissima. «Fiat justitia, pereat mundus» (1) —Vae tribus procis vatterimis, qui aleatores fallaces et epulones rapaces et potatores bachelantes et parasiti adulatores nihil aliud curare videntur, nisi suam ipsorum cutem et elephantorum instar pedibus vastis rem familiarem exigiam mihi derelictam saevi conculcant. —Restitit quidem adhuc Balsamina omnibus eorum illecebris ac blandiloquii, sed mansue-

tior ac mitior est justo; est ovis quae-dam tenella inter lupos rapidos et columbula trepida inter hyaenas praedaces vel milvos crudeles; protervi ac lascivi saltare videntur in ejus nasulo... (*de summa turri arcis tuba subito canitur; Baro exsilit clamans:*) Eja, signum instigandi canes venaticos in feras, id est in procos canes, porcos. (*quatuor militibus, qui Ophthalmodulo duce accur-runt, assignat stationes occultas et abit.*)

V 4. *disciplinae publicae custodes; proci; milites*

(*Sex securitatis publicae custodes Scauro praefecto duce gladiis destric-tis per transversam scaenam currunt et per arcis januam a januario pate-factam in arcis atrium, quod a thea-tro in parte scaenae posteriore conspi-citur, penetrant et statim Vespa et Milvum epulantes petunt. Vespa, cum sit pinguis-simus et obessissimus om-nium trium manicis perfacile devinci-tur. Milvus, cum sit contumacissimus, ac ferocissimus, difficilis comprehen-ditur et catenis fortius tenetur. Pas-serculus, cum sit macerrimo et gracil-limo corpore, simul ac sex disciplinae publicae ministros atrium intrantes animadvertit, clam per alteram ja-nuam atrii se subducit ex atrio veloci-sime et aufugit ex arce in viam pu-blicam; sed statim quattuor militibus insidian-tibus et famulis et civibus armatis retentus intercipitur et in atrium arcis reductus magno clamore mani-cis vincitur)*

SCAURUS. —(*ad procos*) «Favete linguis» (2) «Silentium altum» (3) —Nomine et auctoritate Baronis illustrissimi et augustissimi Narragoniae regis et vi ac jure legum poenallium rei pu-blicae declaro vos captivos et reos criminis capitalis: «Quos saepe tran-slit casus, aliquando invenit».

VESPA. —«Noli turbare circulos meos» (4) Mene libertate ausus es privare? Per deos inferos obsecro te, Scaure, ut me illico libertati publicae et privatae restituas. Pater meus divitissimus patricius et locupletissimus negotiator totius regni poenam et necem filii unici horribiliter ulcisceretur.

SCAURUS. —Facedum, Cerbere pinguis-sime et canis latrator saginat! —«Hic casus me facit ridentem» (5) —Quam-quam Goliathe corpulentior ac ro-bustior es et vel amplissima dolia vini plena ut ramenta aut plumas removes, nunc te obstrictum undique tenemus vinculis et catenis. —Abducite eum! (*ad disciplinae pu-blicae ministros*)

MILVUS. —Quanta contumelia me affectis, quanta ignominia! Omnino in-sons sum captivitatis. Neminem unquam trucidavi aut vulneravi, nemini unquam assem aut plumam aut acum aut pilum furatus sum. Ma-tercula et fratres sororesque ululan-tes me condemnatum lamentarentur in inmensum. Ergo dimittite me et Vespa sodalem mihi amicissimum!

VIATOR, S. D. V.
(sequetur)

(1) Imperator Ferdinandus I. — (2) Hor. Od., III, 1, 2. — (3) Vergilius, Aen. X, 63. — (4) Archimedes. — (5) Goethe, Faust I.

CURSUS GYMNASTICUS

QUINTI HORATII FLACCI

CARMEN SAECULARRE

Magna viget sententiarum disparitas in judicio de indole et virtutibus Carminis Saecularis: Horatiani alii exiguum, eximum alii monumentum, aere perennius, reputarunt. Doeringius, ait Steiner⁽¹⁾, carmen saeculare (C. S.) praestantissimis adnumeravit carminibus Horatianis; Mitscherlichius hoc divinae artis opus in pretiosissimis totius antiquitatis monumentis ponendum esse sibi persuasit; Braunhardus splendidissimum illud dixisse carmen non satis habuit, sed quasi divino quodam spiritu adflatus; e recetioribus vero clmum. Villenueve adferam cui C. S. opus princeps est in poëtica religiosa Horatiana⁽²⁾.

Contra Eichstadius: vix ullum — inquit — poëma legi, Augusteo aevo compositum, in quo tanta esset sententiarum jejunitas, tanta compositionis inconcinnitas, quanta laborare mihi videtur celebrimum illud Horatii Carmen Saeculare. Godofridus autem Hermannus hoc carmen aut ab Horatio invitis Camenis conditum aut a nebulone nescio quo suppositum esse suspicatur. Quibus inter recentes addi potest Alexander Aureli⁽³⁾ cujus sunt haec verba: .. totus hymnus novitate inventi caret..., multa sunt demisse expressa...: plura sunt quae demi possunt, multa sunt in quibus, non bonus Homerus sed bonus Horatius alto somno dormitat.

Quae cum ita sint, fieri non potest quin tritum illud proverbium in mentem revocemus «medium tenuere beati». Sed priusquam stropharum singularum commentarium incipimus, nonnulla de occasione, finibus, dispositione praemittenda censuimus.

Cum Augustus ab Actio Epri promontorio, superato Antonio, recessisset victor ludos scaenicos Romae celebravit in honorem Apollinis et Dianaee

*tempore sacro,
quo Sibyllini monuere versus
virgines lectas puerosque castos
dis, quibus septem placuere colles,
dicere carmen.*

Tunc Horatius ab Augusto rogatus *carmen saeculare* dictum composuit ut in ipso marmoreo ludorum commentario anno MDCCXC Romae effosso constat

CARMEN COMPOSUIT Q. HORATIUS FLACCUS⁽⁴⁾

atque hoc maxime intendens ut praecipua religionis numina, Apollo et Diana, precibus colerentur ac celebrarentur et fausta futuri temporis omnia ederentur⁽⁵⁾. Acti sunt ludi saeculares Augusti, C. Furnio

(1) Steiner, *De Horatii carmine saeculare*. Kreuznach, 1847; p. 1.—(2) Villenueve, *Horace*, t. I. Paris, Les Belles Lettres. 1927: Chant séculaire, pp. 185-188; «Par la belle simplicité de l'ordénance, par la sobrieté ferme et élégante du style, par la profondeur grave du sentiment patriotique, c'est sans doute son chef-d'œuvre dans la poésie religieuse» Itrod. XXXIX.—(3) Alma Roma, 1934, p. 150.—(4) C. I. L. 32 323: Commnetaria Lud. Saecularium vs. 149.—(5) F. Ritter, *Horatii carmina* (Vol. I) commentario critico, historico et exegético illustrata. Lipsiae, W. Eugelmann, 1854: Carm. Saec.

C. Junio Silano Coss, anno ab U. C. DCCXXXVII (ante Ch. N. XVII) aetatis Horatii XLVIII, eorumque memoria nummis et monumentis conservatur. De ipsis agit copiose Zosimus *II* 4-6, Censorinus. *De die natali*, 17; breviter referunt Cassius Dio *LIV* 18, et Suetonius *in Aug.* 31.

Sunt qui non tantum C. S., sed tria carmina ab Horatio composita atque singulis tribus diebus ludorum saecularium decantata esse defendunt. Ita e. g. Urbanus Campos qui hac ratione carmina distribuit: Die primo canticum *Dive quem proles*, *Od. IV*, 6, ab initio ad versum 29 «*Spiritum Phoebus mihi*»; altero die, «*Dianam tenerae*» *I*. 21; tertio die canticum saeculare cum fine carminis «*Dive quem proles*» a. v. 29⁽¹⁾. Praeterea P. Sanadon C. S. fragmentum reputat cujusdam magni carminis, cuius prologus esset «*Odi profanum vulgus*» (*Od. III*, I 1-4), pars prima «*Dive quem proles*» (*Od. IV-V*, 1-28), pars altera «*Dianam tenerae*» (*Od. I. XVIII*), pars tertia «*Phoebe silvarumque*» (C. S.), epilogus «*Spiritum Phoebus mihi*» (*Od. IV. V*, 19-44)⁽²⁾. Sed haec doctrina solido fundamento caret. Nec de sunt qui unitatem carminis saecularis rejiciunt, quod tribus partibus inter se diversas dividant, quam sententiam Cl. Gagé rejiciendam habuit⁽³⁾.

Placet e contra doctrina E. Stampini⁽⁴⁾ juxta quem ipse Horatius ante chorūm virginū puerorumque stans canticum profert piaculare atque eucharisticum «*Dive quem proles*» et postea chorus C. S. «*docilis modorum vatis Horati*» reddidit

De ordine et modo executionis C. S. disputant auctores, maxime postquam anno 1890 reliquiae marmoreae sunt repertae ubi sculptum erat:

(147) SACRIFICIOQUE PERFECTO PUERI XXVII QIBUS DENUNTIATUM ERAT PATRIMI ET PUELLAE TOTIDEM

(148) CARMEN CECINERUNT: EODEMQUE MODO IN CAPITOLIO⁽⁵⁾; sed nos cum J. Gagé et Villeneuve⁽⁶⁾ doctrinam duplicitis integrae executionis omnino probamus, necnon rationem seu dispositionem quam tradit Steiner⁽⁷⁾.

Stropha 1 et 2 (*proodus*)
juncti pueri et puellae

Str. 3 pueri – 4 puellae	Str. 10 pueri – 11 puellae
5 pueri – 6 puellae	12 pueri – 13 puellae
7 pueri – 8 puellae	14 pueri – 15 puellae

Str. 16-19 (*epodus*)
juncti pueri et puellae

Unde patet C. S. in numero carminum amoebaeorum esse reponendum, idque XIX saphicis strophis componi, quarum interpretationem incipiemos, proposita lectione Latina editionis majoris Fr. Volmer⁽⁸⁾ atque versione Hispanica Patris Llobera, S. J., quam generose adhuc vivus tradiderat evulgandam.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

(1) **U. Campos**, *Horacio Español*. Madrid, 1783: Canción secular, p. 414 – (2) **A. Waltz**, *Oeuvres d'Horace*. Paris. Garnier, 1887: Chant Séc. p. 224 – (3) **J. Gagé**, *Recherches sur les jeux séculaires*. Paris, Les Belles Lettres, 1934, p. 26 – (4) **E. Stampini**, *Il canto saecolare di Orazio*, Torino, G. Chiantore, 1929, p. 36 – (5) **C. I. L.** 32 323, vs. 147-148. – (6) **Villeneuve**, *Horace*, Paris, l. c.: «Je suis, quanta moi porté à admettre qu'il y eut deux auditions de l'hymne entier». – (7) **Steiner**, *ibidem*, p. 5; **Frank**, *The Carmen saeculare of Horace* Cf *American Journal of Philology*, 1921, pp. 324-329 – (8) *Horatii Carmina rec.* **Fr. Vollmer**. Lipsiae in aedibus B. G. Teubner, MCMXII.

In divum Thomam Morum carmen

Hic ille Morus, quo melius nihil
Titan Britanno vedit ab aethere.

Funeſta cum regem Bolena
Illicito furiasset aeſtu,

Audax iniquas spernere nuptias
Amore veri propositum minis
Obvertit Henrici, tyranno
Fortior indocilisque flecti.

Non cancer illum, non Aloisia
Dimovit uxor, nec trepidus gener,
Nec ante patrem Margarita
Femineo lacrimosa questu.

Fertur monentem mitia conjugem,
Sed non et iſto digna viro, procul
Ab se remotam cum feroci
Ut fatuam pepulisse risu.

Mox, qua fluentem se Thamesis rotat,
Ad destinatum funeribus locum
Caſto coronandus triumpho
Per medios properavit Anglos.

Du<um secuta flente Britannia
Non flevit unus marmore durior,
Et certa despe<ante vultu
Fata tuens hilarisque torvum.

Atqui sciebat, quid sibi regius
Tortor parasset; non aliter tamen,
Quam laureatos Sulla fasces,
Ipse suam petiit securim.

Plenus futuri, quo tumulo stetit,
Postquam paventem carnificis manum
Mercede firmasset, cruento
Colla dedit ferienda ferro.

JACOBUS BALDE ⁽¹⁾

«Quot margaritae novae, quae dicitur, Latinitatis pulvere teguntur bibliothecarum! Quam Balde dignus, qui omnium doctorum teratur manibus! quam dignus Santolius! quam digni ceteril qui opera condiderint nullam partem inferiora exemplis veteribus, rerum varietate et magnitudine longe illa vetera superantia. Neque quemquam totius orbis terrarum typographum hos sibi viros hodiernis litteris, hodiernis ornamentiſ et papyro ex oblivionis faucibus eripiendos suscipere!»

A. AVENARIUS.

(1) Jacobus Balde jesuita, notissimus ille Bojorum poëta, qui natus est anno Christi 1604, mortuus anno 1668, quo tempore Thomas Morus percussus est, ut cum maxime poësi lyrice efflorescere cooperat. Constantiam herois Anglii demiratus hanc odam fudit, quae est primi libri lyricorum tercia.

Hoc carmen misit ad actuariam amicus Avenarius cui juvat hic grates habere ac referre. Ad calcem eas dabat voces quas iudico legendas lectoribus atque meditandas.



De recta linguae Latinae pronuntiatione

De littera G⁽¹⁾

• Venit jam de littera *g* quicquam disserere, cujus oportet et originem exponere et legitimam ejusdem pronuntiationem. Utramque rem prosequitur Funcius⁽²⁾ his verbis: «Obvia sunt in nostra tabula⁽³⁾ vocabula *Cartacienseis*, *Cerens*, *Ecestanos*, *Cocnatos Lecioneis*, *Macistratos*, *Pucnadod* et similia. Unde luce clarius meridiana videmus quod litterae *g* apud veteres Romanos, etiam hoc aevo, nullus fuerit usus; verum c, tertium istud alphabeti elementum, ut apud Graecos quoque, vicem ejus praestiterit. Idem Festus quam plurimis in locis, ubi de verborum significatione agit, etiam diserte comprobavit atque inter alia: «C pro *g* frequenter ponebant antiqui, nam quae nunc c appellatur ab antiquis *g* vocabatur. Et Petrus Moselanus, vir doctissimus, notavit pronuntiari *Cajum* per *g* quia *g* sonet, scribi autem per *c* ejusque rei rationem subjungit: «Quod apud vetustissimos Latinos non fuerit usus *g* litterae, sed c tantum quae tertium locum in serie litterarum ita occupet. Atque inde etiam est quod tempore posteriore C et G litteras invicem optimi scriptores quam frequentissime commutaverint. Spurius autem Carvilius, ludimagister quidam Romanus, demum circa annum ab U. C. quingentesimum quadragesimum, post Leges XII Tabularum conscriptas ducentesimum trigesimum septimum, post Tabulam Rostratam quadragesimum septimum, *g* isthanc soni mollioris litteram invenit, pinxitque primus pro *inicere* inigere pro *acetare* agetare etc. Quod ne fingi a me temerario conatu videatur hac de re verba facientem praestat audire Plutarchum: «Cognatio enim est inter c et *g*, ac sero littera *g* uti coepere, quae reperta a Spurio Carvilio». Idem Funcius scripsit alibi: «*G* apud Latinos novum inventum Spurii Carvilli cuiusdam grammatici, cuius vice olim ad imitationem Graecorum tertio alphabeti elemento C utebantur, ut Cajo Cnaeo et similia scriptitaverint. Hinc Ausonius: *Praevaluit postquam Gammae vice functa prius c.* Nec alia fuit mutatione opus quam hemicyclo C rectum adjicere pedunculum *G*.⁽⁴⁾

«*G*: sonus gutturalis explosivus et sonorus; respondet γ. In scriptura *g* nihil est aliud quam alteratio litterae *c*. Tempore quo Pyrrhus bellum cum Romanis habebat, *g* littera quae est modificatio litterae *c*, ab hac est discriminata. Haec nihil est aliud quam modifi-

(1) Cfr. num. 45 p. 164 – (2) De pueritia linguae Latinae c. V, pars V. – (3) Tabula Rostrata – (4) De pueritia linguae Latinae c. I par. XVIII.

catio litterae c et sonum gutturalem dulcem repreäsentat. Pronuntiatio litterae g fuit magis fortis ante vocales a o u et consonantes, quam ante e i. Ante has duas vocales g habuit *serius in sermone popullari* sonum j et in linguis recentibus romanicis sonum sibilantem palatalem»⁽¹⁾

«G septima Latinorum littera una ex mutis, cognata est litterae c, a qua originem habet. Nova consonans dicitur a Diomede quia multo tempore Latini ea caruerunt, c litteram ejus loco adhibentes, sed dupli potestate, scilicet in quibusdam vocibus ut c nunc habet, in aliis ut g. Tandem post quingentos fere annos ab U. C. Spurius quidam Carvilius parvo apice ut est apud Plutarchum inferius litterae c adjecto in iis vocibus quae g sonum habebant, eam in Latium invexit.⁽²⁾»

«Cum dico *lege*, in his duabus syllabis aliud Graecus, aliud Latinus intellegit, ait Augustinus.⁽³⁾ Secundum id eodem modo sonat g in *lege* Latino quam γ in λέγε Graeco.

Frustra quaeras apud veteres grammaticos alias de littera g particulares notas. Ex Martiano Capella hoc sumes: G spiritus cum palato» et ex Mario Victorino: «C etiam et g sono proximae oris molimine nisique dissentient; nam c reducta introrsum lingua, hinc et hinc molares urgens, haerentem intra os sonum vocis excludit; g vim prioris pari linguae habitu palato suggerens lenius reddit»; praeterea nihil.⁽⁴⁾

Ex dupli tamen allato testimonio deducimus eam litteram g, non alia atque alia ratione proferri pro vocali quae eam consequitur, ut fit in vernaculis linguis, sed semper uno modo eoque simili litterae c, quamvis palato vim lenius reddit.

Simeon Aprilis⁽⁵⁾ ex eo quod nihil aliud constet apud veteres grammaticos acute arguit: «Eum itaque verum illarum c et g sonum esse credendum est, quem edunt post litteras vocales. Graeci certe hoc modo pronuntiant, a quibus si in pronunciatione aliquarum litterarum Latina lingua dissentiret, non est certe dubium quin illi veteres Latini, qui utriusque linguae fuerunt peritissimi, id fuissent litteris testati. Naturali enim vitio litteras c g cum vocalibus e i barbaro sono pronuntiamus... g vero quemadmodum vulgo dicimus ageno, dicimus item gemo gigno, cum tamen nullius auctoris antiqui testimonio constet, illas duas litteras olim alium quidem sonum edere cum his, alium vero cum reliquis vocalibus. Neque est quod quis defendat barbarem hanc pronunciationem ipsa consuetudine. Nam

(1) J. M. Guardia et Wierzyński, *Grammaire de la langue Latine*. – (2) **Forcellinius**, Vid G. – (3) *De Doctrina Christiana*, 24. II – (4) **Moyer Lübbe**, *Linguistica Romanica*, part. 2.ª, parr. 147 – (5) **Simeon Aprilis**, *De Arte Poética*, Liber de consonantibus.

ex quo tempore Latius populus disperiit, ita usus latine pronuntiandi nationum varietate depravatus est ut nusquam vere Romanam pronunciationem esse credere par sit, a tot gentibus et barbaris nationibus Gottis, Vandalis, Italia devastata.

«Si quaeras, ait Sanctius Brocensis,⁽¹⁾ quinam mea sententia proxime accedant ad pronunciationem antiquorum, sine cunctatione respondeam Germanos. Nam Germanis *g* semper gamma». «Male agunt qui in uno verbo aut nomine pronunciationem mutant ut *locus loci locum; lego legis legunt*. Perpetuo custodiatur sonus *ga* ut *ga ge gi go gu*.⁽²⁾

«C et *g* ante *e* et *i* pronuntiantur ut in lingua Castellana *Cecilia Gente Gigante*. Hic est usus, sed doctores docent eas pronuntiari debere ut ante ceteras vocales. Postquam lingua Latina desiit popularis esse et ex muto populo, qui sunt libri, sumi copta est, plures barbarimos suscepit et est passa, ut est quod litterae *c g* (*t* ante duas vocales pronuntiarentur peregrino et barbaro sono, quia unaquaeque vernacula lingua introducere contendit suam pronunciationem in Latinam, unde tot in pronunciatione basbarismi.⁽³⁾

Nunc Scioppium audiamus:⁽⁴⁾ «Apparet Romanos *legio legere* pronunciatione quomodo hodie effertur ab Italia et Germanis *legio legere*, ab Hispanis *legio legere*, nam ceterae omnes litterae *g* pronunciationes, quae hodie in usu sunt iisdem nationibus, a Romanis nullo pacto intellegentur: *Ga* etiam *go* *gu* Romani sic efferebant ut *ca co cu* per paulum interesset. Eo utuntur Germani in *Sing = cano, Gesang = cantus*; habentque hunc morem ut in *singen g* priori syllabae attribuebant.

«Jam medianam quae est *γ* vel *g* Latini (hi nempe qui hodie latine loquuntur) non semper eodem enuntiant sono. *L.* Qui sic? *Ur.* Cum dicis *vaga vago exiguis*, nonne aliud audis quam cum dicis *vage vagi?* *L.* Prorsus; nam in *ga* et *go* et *gu*, audio nescio quid crassius ac spirantius. *Ur.* Item aliud audis in *lego* quam in *legis legit*, in *longas* quam in *longis*. *L.* Sentio. *Ur.* Huic malo succurrit Germanorum pronunciatione, qui sono per omnia simili dicunt *lego legit*. *L.* Video quemadmodum ex corruptis libris, itidem ex linguis, quamlibet vitiatis, posse quaedam depravata restitu. *Ur.* Atqui nos Batavi hic Germanos ridemus quasi vitiosum sit quidquid diversum est. *L.* Ad istam rationem nihil non esset vitiosum inter homines. Verum ut hic recte sonant *g*, ita perperam sonant cum dicunt *caudeo* pro *gaudeo* et *Cades* pro *Gades*.⁽⁵⁾

(1) *Opera omnia - Grammatica linguae Graecae - de veris litterarum sonis.*—(2) *Idem ib. Reglas para perfectamente leer y pronunciar latin.*—(3) *Nebrissensis, Gramm. Inst. L, II - Reglas de pronunciación.*—(4) *Grammatica philosophica - De consonantibus simplicibus. Litt G.*—(5) *Erasmus Roterodamus, Dialogus de pronunciatione.*

«Nos hodie quam peccamus! (in sono *g*); Italorum enim plerique ut *z* exprimunt, Galli et Belgae ut *j* consonantem. Itaque illorum est *lezere fuzere*, nostrum *lejere fujere*. Omnia imperite inepte. Germanos saltem audite quorum sonus hic germanus *legere tegere* ut in *lego tego*, nec unquam variant, at nos ante *i e ae y* semper; dicimusque *jemmag Jaetulos jinjivam jyrum* pro istis *gemmag Gae-tulos gingivam gyrum*. Mutemus aut vapulemus.⁽¹⁾

Liceat tandem hanc de pronuntiatione litterae *g* expositionem finire primo illo colloquio quod Magnus Gregorius habuisse dicitur cum Anglis. Forum Romanum pertransibat ille cum servos quosdam animadvertisit venales, eosque juvenes et forma et tenera facie pulcerimos. «Unde autem hi? —interrogat Gregorius— Sunt Angli —respondent quidam — Angli? Dicite potius Angelii» — inquit magnus Pontifex.⁽²⁾ — Tu vero pronuntia. ut voluimus, litteram *g* et videbis quam parum differant *Angelus* et *Anglus*.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Bibliographia

Jiménez Delgado, C. M. F. Epitome Historiae Graecae. —*Coculsa*, Barcelona— Apart. 1042; et Madrid-Apart. 8013.

Quam opportune opusculum hoc in lucem prodit! Hujusmodi libelli non deerant Italos, non deerant Gallos, non deerant Belgos atque Germanos, at deerant Hispanos atque ideo apud nos jacebat litterarum cultus et minoris habebatur. Desiderabatur a praceptoribus in aulis praelegendus, desiderabatur maxime a pueris, qui primis Latinis litteris imbuuntur, interpretandus. Nihil in eo non utile, nihil non jucundum. Jucundus parva et eleganti forma, jucundus carta pellucida, jucundus crebis imagunculis, jucundus limpidis elementorum typis, jucundus praesertim amoenitate rerum una cum earum historica utilitate, agit enim de populo qui litteris orbem domuit. Prologo commendatur doctissimi Professoris Latinitatis in Instituto Bilbilitano qui etiam opusculi scopum proponit et fines. Postea triginta capitulis in pagellis praecipuos praebet gentis Graecorum tractus, adpositis ad calcem uniuscujusque capituli notulis et grammaticis et historicis. Ad finem autem per capita voces vertuntur, quae quidem voces deinde, alio indice, litterarum ordine proponuntur expreso loco ubi primum in textu eas legeramus. Denique tribus tabulis geographicis omnes urbes

(1) *Lipsius. De recta pronuntiatione Linguae Latinae c. XIII.* —(2) *Mourret, Historia de la Iglesia*, T. III, c. II, 2.

*et oppida alumnis ostenduntur de quibus in narratione facta fuerat
mentio. Omnibus his de causis pro certo habeo ejusmodi Epitom
Historiae Graecae in Instituta, in Seminaria, in Ephebea tum Hispanica
tum Americana venturam esse atque acceptum iri.*

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

A. Gríera. — *Tresor de la Llengua, de les Tradicions i de la Cultura popular de Catalunya.* — I. p. 342. Edicions Catalunya. Barcelona, 1935.

Aptissime hoc opus *Thesaurus inscriptum* prodiit; in eo enim passim pretiosae apparent margaritae. *Thesaurus* quidem ac pariter pulcherrimum musivum ex lapillis compositum in toto Catalaunico territorio collectis. — Ibi enim et plurima invenies vocabula, vario adjecto usu, omnium populorum qui vernacula lingua agnoscunt Catalaunicam; ibi et vulgares loquendi modos ac proverbia innumera, ibi et sacras ac venerandas populorum traditiones.

Eximum certe opus compositum, sicut lexicis oportet, vivum sermonem popularem investigantes, cui investigationi operam dederunt in praecipuis oppidis et vicis plus ducentarum responsionum, quibus non nulla proposita erant quaestionaria. De quibus tamen vulgariem sermonem interrogari non valuit, quinquaginta ponderata sunt vocabularia de non nullis cottidianae vitae rebus a meritissimis auctoribus conscripta. Hoc primum volumen litteram A tantum complectitur. — Librum perlegentes ingenuum rusticorum loquendi modum nobis audire videmur in nativa dialecto et sermone colloquentes, juxta quodlibet enim vocabulum locus seu regio ubi vox seu locutio usurpatur, subjungitur. — Unum illud in opere desiderare quispiam poterit, quoniam dialectorum quoque inscribitur lexicon, mutationum annotatio ejusdem vocabuli apud varias Catalaunicas regiones et populos (*alfals = aufals, alberginia = auberginia, albercoc = aubercoc, similia*); sed id, ut Auctor innuere videtur, in opera *Atlas*

lingüistic de Catalunya facile reperire poteris.

En memoranda prorsus verba praeclarissimi Auctoris et philologi: «Omnis omnium gentium nationes magnas exstruunt aedes ubi veteris temporis recordant thesauros, museae in quibus christianorum ars effulget. — Summa et ego animi contentione novum excitavi museum ubi vetus Catalaunicae linguae thesaurus reponatur qui et breviarium est nostrae inter gentes humanitatis». Ingrediamur igitur, cives Catalaunici, hujusmodi museum ac sacram aedem ubi *Thesaurus Linguae, Traditionum et popularis Urbanitatis gentis nostrae asservatur*; ingrediamus ac grato animo accipientes munus nobilissimi Auctoris in proprium succum et sanguinem spirituale patrimonium majorum veritamus.

JOS. M.^a MIR, C. M. F.

Joannis A Sancto Thoma O. P. — *Cursus Philosophicus Thomisticus.* — Nova editio A. P. **Beato Reiser O. S. B.** Vol. I. — *Ars Logica.* — Vol. II. — *Philosophia Naturalis.* — Marietti-Taurini (Italia).

Paucis abhinc annis, 1930-1933, exarante P. Beato Reiser, O. S. B., sumptibus et cura cl. Marietti editoris, publici juris facta est «Nova Editio» *Cursus Philosophici Thomistici* cuius Auctor Johannes a Santo Thoma, O. P. (1589-1644), qui, uti apertum est, Angelici Sancti Thomae doctrinae penetratione necnon ejusdem contra Vázquez et Suárez praecipue defensione egregius stat ac fere sempre fidissimus interpres, qua ipsa expositone cognomine a Sancto Thoma nominari meruit. Adhuc tantum

duo volumina adparuerunt, tertium sub prelo est.

Primum Vol. «Artem Logicam» seu materiam et formam ratiocinandi continet. Alterum autem «Philosophiam Naturalem» cuius prima pars: *De ente mobili in communi*; tertia vero *De Ente mobili corruptibili*, secundam partem sc. *de Ente mobili incorruptibili*, quod est caelum, auctor non edidit. Neque Metaphysicam neque Ethicam ex professo tractat. Qui totum textum attente perlegerit paene omnia inveniet quae a recentioribus exponuntur. Quae ad Theologiam Naturalem et ad Ethicam expectant juxta morem illius aetatis ad Cursum Theologicum tractanda remittit. «Nova Editio» semper praeelegit textum ejus Editionis cui ultima ipsius auctoris manus accessit, titulum generalem ex Ed. Colonensi 1638 transcriptum est; universum denique opus tum dicendi ratione, cum perspicuitate doctrinae, charta, typis necnon iis omnibus quibus cl. Marietti apud omnes commendatur, a magistris, discipulisisque qui Philosophicis speculationibus delectantur, maximi faciendum est.

Cajetani (Thomae de Vio), O. P.—

In «De ente et essentia» D. Thomae Aquinatis commentaria. —Cura et studio P. M.—H. Laurent, O. P. - In 8.^a max. 1934, pp. XVI-260. Casa Editrice Marietti. Via Legnano, 23. Torino (118).

Occurrente anno a transitu Thomae de Vio Card. Cajetani quadrigentesimo, qui maximus post Angelicum Praeceptor ac Commentator extitit, consilium fuit P. Laurent denuo typis edendi aurea in «*De ente et Essentia*» D. Thomae Commentaria. Opus sane juvenile, aetatis suae anno vigesimo quinto, merito tamen summum atque dignum magni Commentarii in Summam Theologicam ejusdem D. Thomae exordium. Textus ad normam Ed. anni 1498 est concinnatus. Impressio cl. Marietti Editoris digna.

Fr. Gerardo M. Paris, O. P.— *Divisio Schematica summae Theologicae Sancti Tomae, ad usum Profesorum atque Studentium.* —Taurini, Maritti, 1931.

Haec divisionum Schemata totius S. Th. Sancti Thomae Aquinatis ordinata sunt, ut refert Auctor, ad faciliorum reddendam Studentum de connexione quaestionum memoriam atque synoptical recognitionem expediendam, utilia sane iis qui theologicis studiis sub ductu Aquinatensis incumbunt, maxime vero pro alumnis qui S. Theologiae D. Thomae operam navant. J. PASTOR, C. M. F.

Raffaele Fimiani. — *P. Virgilio Marone, Il libro X dell'Eneide.* — Felice le Monnier. Firenze.

Praemisso exordio brevissimo de argumento libri X Aeneidis, incipit textus Latinus Vergilii, adnotationibus historicis et grammaticalibus illustratus atque ornatus. Optimum commentarium decimi libri Aeneidis inveniet lector, atque vindicationem Vergilli ab eo quod recte non potuisse scribere decimum librum, «Vergilius namque bellum non amat, neque bello movetur».

H. Bergin et G. Duclos. — *Euripide-Théâtre.* — Traduction nouvelle. Garnier. Paris.

Euripidis tragoeiarum quattuor recentia volumina habes in collectione Classicorum Garnier. Exordium est de evolutione quae inter Graecos, cantus religiosi habuerunt, ex illis nempe processerunt tragoeiae; auctor Euripidis ritam illuminat notitis historicis. Vertit eleganter, cum verborum luce, vimque textus servat. Recensemus tragoeidas: *Alphigénie à Aulis*, *Electre*, *Oreste*, *Iphigénie et Tauride*, *Rhésos*, *Les Troyennes*, *Écuba*, *Andromaque*, *Hélène*, *Le Cyclope*, *Ion*, *Medéé*, *Hippolyte*, *Les Héraclides*, *Les Suppliants*, *Les Bacchantes*, *Alkestis*, *Héraclès furieux*, *Les Phéniciennes*.

Personarum atque locorum brevis notitia antedicit singulas tragoeidas; annotationes quaedam consequuntur unumquodque volumen. Gallica versio tantum prostat. J. CODINA, C. M. E.

Exercitationes Scholares

Chirurgus, I.—Quidam miles sagitta est attactus in proelio, quo relicto, revertit et supplex, ut sibi medeatur, se contulit ad chirurgum, qui eum scrutans iterum iterumque; nihil hoc est, ait et expediri facile. Inde factum est ut, magnam apprehendens forficem, sagittae hastile secaret ad summum cutem. Mercedem postea, re perfecta, depoposcit. At miles: quis sagittae hastile secare nesciat? intus, enim, sagittae cuspis est, eamque qui educes? Chirurgus vero, capite micans, hoc, inquit, mea nihil refert, sed medici est interiora curare. Mercedem, igitur, da mihi, quaeso, ut discedam.

PETRUS GÓMEZ

Collegii Seraphici Ceheginensis alumnus.

II.—Quendam in proelio militem attigit sagittae. Proelio relicto reversus est, et ut sibi mederetur quemdam rogavit chirurgum. Is vero quum aspexisset, hoc dictabat: «nihil hoc est, res erit expedita». Deinde forficibus haud parvis sagittae hastile ad summum cutem excidit. Quo facto mercedem exegit. Cui miles: Hastile sagittae, inquit, quis non excideret? Intus vero spiculum inest, hoc autem quomodo educes?

Capite autem micans: mea, inquit chirurgus, hoc non refert. Medici ad intimia est munus. Igitur solve mihi mercedem ut abeam.

IGNATIUS CEREZO

Stae. Catharinae Latinitatis alumnus.

Los ladrones se deben echar de casa, I.—El que quiera guardar con seguridad sus cosas, tenga gran cuidado con las maquinaciones de los ladrones. Erase un hombre muy noble del Lacio que vivía muchas veces en el campo, donde poseía una casa admirable por el arte y adornada lujosamente. Acercábanse con frecuencia algunos vagabun-

dos astutos que se fingían amigos y a más de fanfarrones (eran) aduladores, entregados por entero al hurto. Robaban de noche y no les faltaba presa abundante y fácil de día; porque nada se les oponía. Un amigo sincero de los pocos que tenía avisa al amo y a los suyos, pero en vano; así que nunca puede impedir tan triste mal. Por fin exclama, alguna vez, cuando al amanecer, se levantan los señores, verán que hasta la misma casa ha sido robada por la mañana admirable de los ladrones.

BIENVENIDO VALVERDE

*Gymnasti Sanctae Catharinae alumnus.
(Verdolay)*

III.—El que quiera conservar con seguridad sus cosas, evite cautamente las maquinaciones de los ladrones. Un varón noble, entre los que más de raza latina, pasaba muchas veces la vida en el campo, poseyendo una casa adornada con espléndido ornato, y digna de ser contemplada por su arte.

Había en ella muchos solapados, astutos, amigos fingidos, aduladores y fanfarrones, todos entregados al hurto. Los ladrones, durante la noche roban y de día no carecen de mucho y grande botín, pues nada les impide robar.

De los pocos un amigo sincero avisa al amo y a los suyos, mas en vano, pues no puede evitar tan triste daño.

Por fin exclama: algun día, al amanecer, levantándose los amos de dormir, verán que la misma casa ha sido robada por las admirables mañas de los ladrones.

SEVERIANO RODRIGUEZ, C. M. F.
Segoviae

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.
Moderator

Thyographia F. Camps Calmet. — Tarregae

L I N G U A P H O N E

L ATINUM OPE LINGUAPHONE

Introductionem constituit probatam, ad Latinitatis studium facile reddendum atque jucundum, phonogrammatum apparatus atque eorum collistratus textus

L I N G U A P H O N E

G R A E C U M O P E L I N G U A P H O N E

Si vivam reddere velitis classicam Graecorum Linguam, auscultate Graeca phonogrammata cum respondentibus textibus Demosthenis, Sophoclis, Homeri, Pindari editis a

L I N G U A P H O N E

X X I I L I N G U A E O P E L I N G U A P H O N E

Si discere vel perficere vos velitis in qualibet ex 23 praecipuis linguis nostrae aetatis cultus, respondentem adquirite earum apparatus

L I N G U A P H O N E

Petite hoc ipso die catalogum ab
LINGUAPHONE.- VIA VALENCIA, 245.- BARCELONA

Nomen tuum

Via Num Oppidum Nato